

Terms and Conditions

The Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Library.

Each copy of any part of this document must contain there Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept there Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Library

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

Imprint:

Director: Mag. Renate Plöchl

Deputy director: Mag. Julian Sagmeister

Owner of medium: Oberösterreichische Landesbibliothek

Publisher: Oberösterreichische Landesbibliothek, 4021 Linz, Schillerplatz 2

Contact:

Email: [landesbibliothek\(at\)ooe.gv.at](mailto:landesbibliothek(at)ooe.gv.at)

Telephone: +43(732) 7720-53100

iniuriam nec pati nec silere potuit, multo minus ab incepto opere desistere. Rem inquam rursus ad capitaneum detulit, qui illuc subornavit aliquot milites pro custodia futuri alicuius novi parochi vel vicarii. Erat tum in monasterio professus sacerdos nomine *Joh. Guil. Hellerus*, philosophiae Magister, vir acris et imperterritus nec non concionandi muneri sufficientissimus.

Is itaque denuo a Rmo. una cum praedicta guardia in parochiam pro vicario introductus est, praesentibus duobus DD. commissariis *N. Sollinger*, *U. J.* doctore, et Magistro *Nic. Prawnfsalkio*, Domini *Löbl* secretario. Sed post paucos dies civium inquietorum ingens multitudo in ipso coemiterio parochiali congregata est, quae cum furore et impetu insano acclamavit, ut unacum sibi adiunctis militibus ex parochia quantocius discedat, ni velit aliud experiri. Qui intus in parochia armati fuere, duas in eos bombardas exonerarunt duosque ex tota multitudine laeserunt; alterum quidem lethaliter, qui post paucos dies ad manes nigros abivit; alter autem eodem anno in suo columbario fulmine ictus interiit. Hic incredibile dictu est, quantus clamor quantaque vociferatio et seditio fuerit excitata. Hi cum impetu furioso in parochiam irrumpere voluere, illi tamen fores ubique pessulis et truncis fortissime et arctissime constrinxerant et communierant. Interim vigil in turri ecclesiae vexillum sanguinis exposuit et pro more incendii ad maiorem campanam aliquot ictus dedit, ex quo magis magisque seditiosa cohors tumultuari et commoveri coepit. Tandem tamen senatus interveniens volensque tantam tempestatem pro sua autoritate sedare, nihil tamen cum furioso populo efficere potuit. Erat inter illos vir magnae prudentiae et autoritatis non ita pridem capitaneus *Canisae*, *Jac. Vischer*, ex senatu quoque urbis capitaneus, de quo infra plura. Hic sensim sese iuxta murum capellae usque ad fores parochiae protraxit ibique erecto pileo per Dei misericordiam eos, qui intus erant, rogavit, ne amplius eiacularentur, se tandem id effecturum apud populum, ut et ille conquiescat. Hoc impetrato per inferiorem maiorem portam petiit cum senatoribus ingressum, se quidem caute id curaturum, ne plebs concitata post se involet, quod facile etiam impetravit. Qui cum admissi fuissent, una cum reliquis senatoribus illis persuasit, ut pro praesenti die et tempore ex parochia discedant, fore enim ut brevi huc reducantur: populum interea iussit quiescere, quod aegre factum est, uti in tali furore fieri consuevit. D. itaque vicarius cum omnibus iis, quotquot in parochia secum fuere, medius inter senatores usque ad crucem extra urbem securus deductus est. Turba in-